Quelle: http://manuscripta.at/?ID=28694
Copyright: Wien, Schottenstift (Benediktiner)

presignatum. Siquidem videbat in sompnis nocte quadam eum coronam spineam portantem in capite, que vehementer accensa flammam pretendebat ad sydera cum fulgore.

Die quadam cum versus natale domicilium videlicet Abbendoniam iter ageret quondam cum alio quem secum huius itineris socium, vidit campum quendam avibus quibusdam fuliginei nigoris quasi totaliter coopertum. Uterque quidem de miranda avium multitudine miratus est multitudine, sed alterum stupor invasit validus cum timore, quem dissimulare nequiens per silentium, Ego inquid perterritus sum et timeo supra modum. Cui beatus Emundus: Munimine inquid te signaculo crucis et non timeas, quia videbimus quid portendat monstruosa hec avium multitudo. Postmodicum vero videntes, et ecce aves ille corpus quoddam nigerrimum nec hominis nec ulli animalis effigie distinctum subvexerunt in aera, et ita demum disparuit multitudo avium subito velut umbra. Tunc sanctus ad socium: Aves inquid deterrimas quas vidisti noveris esse demones, hominis cuiusdam qui in villa proxima nuper obiit animam ad inferos deportantes. Ipsam vero animam larvale corpus quod in aera sustulerunt exprimit, que tam effigidia visa est, quia conditoris ymaginem ad quam facta fuerat, ipsa dum viveret in corpore vivendo nequiter deformavit. Qui ad eandem villam protinus venientes ut de viso certiores efficerentur prodigio, cognoverunt quod homo quidam ipsa qua sanctus predixerat hora transiit ex hoc mundo. Ex tunc deo voluntarie sacrificare studuit, et ecclesie frequentans limina, orare ieiunare et cetera vite spiritualis exercicia ita duxit in consuetudinem, quod tam facilia quam iocunda sibi fiunt, postquam provectiorem pervenerat ad etatem. Sic itaque divina sibi gratia favente annosus et canis sensibus factus est in annis teneris. Qui cum sacram nondum didicisset scripturam, ipsam tamen docere videbatur maturis moribus et honestis. Eratque talis quod non prius docere inciperet quam facere, sed quod amplius est prius facere quam audire. Et cum singulis virtutibus in sui cordis archano gratum pararet hospitium, incorruptionem tamen corporis singulariter habere studuit, sciens per unctionem spiritus que docebat eum de omnibus, quod incorruptio deo proximum esse facit. Unde florem pudicicie servans illibatum, carnem suam nulla cunctis diebus generis ut asserunt qui cum ipso familiariter ab annis sunt puerilibus conversati unquam polluit immundicia, sed permansit in eo usque in diem ultimum virginitas incorrupta.

Iam in annis adolescentie positus cum meditaretur assidue qualiter castitatis florem cui quam maxime timebat custodiret integrum, cuiusdam magni sacerdotis Oxonie consilium censuit expetendum. Sacerdos autem magni consilii angelo inspi